



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. C. An, si prima causa necessario operatur, nostra voluntas libere
posset moueri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

niffeste etiam probat: ergo præfinitione fua Deus
 nequit præcedere voluntatis noſtræ determina-
 tionem, ac proinde nec libertatem illius præfina-
 tionem ipſarum operationum impedire. Quare ſo-
 lum poteſt libertatem tollere prædeſtinando ali-
 quid, quod præcedat cooperationem noſtram, &
 liberum conſenſum. Hoc autem debet facere vno
 ex tribus modis. Vel perturbando cogitationem,
 vt non ſit in nobis plena poteſtas deliberandi, vel
 vnione hypoſtatica, vel viſione beatificæ: quibus
 duo poſteriores modi ſolum impediunt libertatem
 ad peccandum, ſed ad alia opera bona liberam
 relinquant voluntatem: tamen ſi viſio etiam neceſ-
 ſario moueat ad dilectionem Dei: at primus ille
 modus libertatē omnino tollit. Alio vero modo
 tolli non poteſt libertas noſtra voluntatis, aut
 impediri: quia, vt recte docet. *ſ. Thom. 1. 2. q. 10. ar. 2.*
 voluntas noſtra à nullo obiecto creato nec ſu-
 perio moueri poteſt, quandiu vſus rationis ſine per-
 turbatione manet.

*Alique locu-
tiones causa-
les de concur-
su Dei &
voluntatis
exponitur.*

Quarto nota, varios modos loquendi per cau-
sales propositiones concedi posse inter decretum
Dei, seu concursum illius, & cooperationem no-
strae voluntatis, non quia illis significemus prius
Deum operari, aut velle operari nobiscum, non
habita ratione cooperationis nostrae, vel contra
(neutrum enim fieri potest, vt probatum est) sed
vt deotemus diuersum modum (vt dici solet) de-
pendentiae aut connexionis vnius causae in ope-
rando a cooperatione alterius: verbi causa, dicere
licet: quia deus vult me consentire, & mecum ad
consensum cooperari, ego consentio: quo modo
loquendi indicatur solum nostram operationem
pendere ab adiutorio, & concursu diuinae voluntatis,
non quia illa prius in nobis operetur consensum,
sed quod sine illa tanquam prima causa cui essen-
tialiter subditur operari nullo modo possumus.
Similiter dicere possumus: quia ego volo, & con-
sentio; Deus vult me consentire, & velle: quo
solum indicatur Dei voluntatem, & concursum
egere nostra cooperatione tanquam causa secun-
da, & proxima modificante, & determinante
sua efficacitatem, addimus autem, ita mutuo
connecti in consensu voluntatis primam causam,
& secundam, vt secunda essentialiter subdatur &
pendeat a prima, vt pote excellentiori ad totum
effectum & omnem rationem illius; & hac for-
tasse ratione dixerunt aliqui, primam causam prius
operari, quam secundam in eodem opere: quia
secunda subditur primae, tanquam ab eam om-
nibus essentialiter pendens: quod facit genus pri-
oritatis ad prioritatem dignitatis & excellentiae
reduci debet, vt dixi cap. 5.

Postremo ex dictis infertur, nullatione di-
cendum esse, ex præfinitione Dei aliquam im-
punitam necessitatem nostræ voluntati. Nam quanvis
concefferimus, ex præfinitione sequi aliquam ne-
cessitatem voluntati nostræ, quia tamen ea est pos-
terior nostræ libertatē, & consequens illam, dici
non potest, talem necessitatem imponi nostræ
voluntati. Hoc enim modo loquendi denotatur
necessitas antecedens, quæ sola imponi potest,
nam quæ posterior est non imponitur, imo pos-
ponitur.

An, si prima causa necessario operaretur,
nostra voluntas libere pos-
set moueri.

Opinio Scoti. Cap. 2.

Quid senserit Gabriel, & Corduba. Cap. 2.

Verior sententia Caietani, & Camerarij. Cap. 3.

Eriam si nulla causa esset libera, effectus aliqui essent quodammodo contingentes. Cap. 4.

C A P Ý T I.

Opinio Scoti.

Quamquam ablata libertate primæ causæ, nulla tamen ex se libera esse potest: controuersia tunc proposita intelligitur facillè supponi, ne, vt adhuc non voluistis ab se libera manere, an prima causæ necessario operante, ab extincto impeditur, quò minus libera ex se ipsa operetur. Hæc autem quæstio, licet ex suppositione inpossibili procedat, non tamen censeri debet inutilis ad disputandum: ex ea namque facillè colligitur, quæ sit propria radix libertatis actum habentium, quemadmodum ex alijs controuersijs, quæ ex aliquo impossibili procedunt, deduci solent ratio formalis alicuius, vt infra etiam disputat. 148. ci. videbimus.

48.c.) videbimus.

In hac igitur questione sic intellecta prima opinio est *Scoti* in 2. d. 1. q. 2. §. *Tertia positio* dicit, alientis nostram voluntatem propter extrinsecum impedimentum primæ causæ tunc non operatur libere, sed necessario. Probat primum quia causa, quæ mouet, in quantum mota, sic necessario mouetur, necessario mouet: sed voluntas nostra mouet se ipsam, in quantum mouetur à prima causa: ergo quia tunc necessario à prima causa mouetur, necessario etiam se ipsam mouetur. Maiorem propositionem explicat *Scotus* exemplo boni, qui tunc necessario mouet lapidem, quando ipse necessario mouetur; tunc autem libere, quando ipse etiam libere mouetur. Voluntatem autem seipsam mouere, in quantum mouetur à prima causa, patet, quia dependet ab illa essentialiter in operando: prima autem causa non pendet in sua operatione à secunda. Deinde sic probat: prima causa penitus attingit effectum, quam secunda; ac proinde prius natura: quare si prima causa necessario operaretur, in illo priori intelligeretur effectus productus à prima causa, ac proinde ita necessario, vt non posset à secunda causa libere impediri.

Scoti rationes infirmæ

Sed præterquam quod Scoti rationes infirmæ sunt, & posterius cum doctrina ipsius non satis constat, vt 3. c. videbimus, opinio eius mihi non probatur. Eam *Calet.* impugnat supra q. 19. art. 8. & q. 14. art. 11. omiſſis tamen illis rationibus ita polumus tandem confutare. Primum quidem ita modo operandi Dei impediretur nostra liberitas, cum voluntas creata non possit non esse subiecta modo operandi Dei, impossibile esse voluntatem aliquando libere operari. Eſſet igitur impossibile, ut his libertas ab intrinſeco : quia impossibilis est actus, impossibilis est etiam potentia : ac proinde destruis id, quod supponebatur, scilicet voluntatem

tatem ex se liberam manere, si prima causa necessario operaretur. Præterea ex Scoti positione sequitur, totam libertatem nostrarum operationum non in nostram voluntatem creatam, sed in primam causam reduci, ideoque actus nostros nunc liberos esse, non quia eliciuntur à nostra voluntate libera, sed quia à Deo libere procedunt, ac proinde eos non esse in nostra, sed in Dei libertate: quod est absurdum. Nam si voluntas nostra eatenus libere à Deo mouetur, sicut baculus, efficitur, nullam ex se libertatem, & dominium suarum operationum habere. Deinde, si prius natura producit actus voluntatis à Deo, quam à voluntate nostra eo quod Deus sit prima causa, sequitur, nunc etiam deo libere operante nullam esse operationem liberam nostræ voluntati. Si enim prius à deo producit, eo quod sit prima causa, nostra voluntas non poterit illam impedire, ideoque superiori disput. cap. 7. sententiam Alexandri, & Bonauenturæ ut viorem probauimus, qui libertatem nostrarum operationum in nostram voluntatem ut in propriam causam reducunt.

CAPVT II.

Quid senserit Gabriel & Corduba.

Secunda sententia est *Gabrieli in 1.28. q. 1. art. 1. in secunda art. par.* quam sequitur *Antonius de Corduba lib. 1. q. 55. dub. 4.* censetque esse opinionem Scoti, qui tria asserit: primum est, si vera esset sententia *Duranti in 2. d. 1. q. 5.* asserentis, Deum actui non concurrere cum secundis causis, & eas sinere, ut operentur, etiam si prima causa necessario operaretur, voluntas nostra libera maneret, quod satis perspicuum est. Secundo asserit cum *Gabriele*, si prima causa necessario concurreret cum secunda, ita quod neutra per se posset producere effectum, voluntas nostra libera maneret. Tercio, utque affirmat, si deus omnia extra se ita produceret, ut per se solus posset efficere, quidquid cum secunda causa facit, id quod ipsi probabilius existimant, prima causa necessario operante non maneret in nostra voluntate libertas. Ex hac parte putat *Corduba* se, & *Gabrielem* cum *Scoto* conuenire, eamque confirmat posteriori ratione Scoti.

Cæterum hæc opinio à sententia Scoti differt: Scotus enim censet nostram voluntatem, tunc etiam non fore liberam, quando cum prima operaretur sicut causa partialis: hæc autem opinio asserit, tunc libere operaturam nostram voluntatem, etiam necessario operante prima causa, quando voluntas nostra esset causa partialis: tunc vero solum libertate fore priuandam, quando solus deus per se effectum operaretur. Nihilominus hæc sententia mihi non probatur: primum quoniam supponit, operationes vitales præsertim voluntatis à solo Deo posse produci, quod est absurdum, ut 1.2. q. 2. art. 2. fusius ostendimus. Præterea, quia hic agimus de libertate voluntatis in actibus ab ea elicitis, utrum Deo necessario operante voluntas ipsa necessario, an libere eos eliceret: nam de actibus à solo Deo productis, nemo dubitare potest, non pendere ex libertate nostræ voluntatis, cum ab illius efficacia non procedant. Et quamuis Deus posset hos actus solus producere in vo-

luntate nostra: quia tamen posset etiam voluntas ex se ipsa operari, iam relinqueretur ei libertas ad operandum.

CAPVT III.

Verior sententia Caietani, & Camerarii.

Mihi placet opinio Caietani locis cit. quam amplectitur *Bartholomæus Camerarius in Dialogo Catholico 2. part. cap. 3.* qui absolute docent, etiam si prima causa necessario operaretur, nostram voluntatem libere operaturam, si ex se, & ab intrinseco libera esset. Ex qua sententia recte colligitur, propriam causam libertatis esse nostram voluntatem, & ex decreto, aut modo operandi Dei non vitari modum, quo ipsa libere operatur, quæ quidem opinio hac facili ratione probatur, & exponitur. Si Deo necessario operante voluntas nostra non posset libere consentire, uno ex tribus modis accideret: primo aut quia Deus esset necessario determinatus, ut eam sua vocatione prænueret, & hoc non sufficeret, ut voluntas necessario velleret, nisi talis esset cogitatio ex parte intellectus, ut ea necessario voluntas nostra moueretur. Hæc autem nulla alia esse potest, quam clara visio Dei, quæ proponit summum bonum sub omni ratione boni: cætera namque taliter obiectum proponerent, ut non apparet sub omni ratione boni, & ita non necessario moueret, ut disput. 97. cap. 4. notauit: ut autem hac visione Dei necessario moueatur voluntas, non opus est Deum necessario operari, sed satis est, si voluntatis & libere talem visionem concedat.

Aut secundo necessario moueretur voluntas nostra, quia Deus necessario deberet cum ea cooperari, prout ipsa exigeret: & hoc modo non tolleretur libertatem illius, eo quod iuxta id, quod voluntas postularer, cum ea concurreret: nec prius quam illa operaretur, sed simul, ut ex præced. disput. c. 7. & disput. 88. cap. 3. satis constat.

Aut denique tertio Deus tunc impediret nostram libertatem præsumendo opera nostra, & consensum autem nostram liberam determinationem: at hoc facere non posset, siquidem neque modo, cum libere operatur, sic potest actus nostros liberos prædestinare, ut præced. disput. cap. ult. dictum est: ergo nulla via nostra voluntas necessitatem pateretur, quæ libertatem eius auferret. Superest ergo, ut voluntas Dei, quæ nobiscum libere cooperatur, nihil omnino conferat, ut operatio nostra libera sit, sed tota ratio liberi, quæ in nominatione extrinseca posita est, à nostra voluntate solum pendeat. Nam siue Deus libere, siue necessario operaretur, eodem modo actio nostra libera esset. Prima igitur, & sola ratio libertatis actus nostri est creatura voluntas.

Argumenta vero Scoti facile dissolui possunt. Ad prius optime respondet Caietanus, propositionem illam, *Ea quæ mouent in quantum mota, &c.* esse veram, quando causa postulat ab alio moueri, tanquam præteritam formam, seu dispositionem, quæ ipsa moueat, ut apparet in exemplo baculi: at nostra voluntas certe non eget hoc pacto motione Dei, ut ipsa operetur, & se moueat, sed motionem Dei solum exposcit, ut adiutricem, & cooperatricem, quia ipsa sola operari non valet. Hoc autem modo prima causa contemperatur secundæ, & iuxta modum illius elicit operationem: tantum abest,

*Caietani.
Camerarii.*

*Probat
ratione.*

Caiet.

Caietan.

abest, vt si necessario operetur, tollat libertatem secundæ causæ. Ad posterius respondet etiam bene Caietanus, primam causam etiam si principalis sit & potissima, atque hac ratione prior, non attingere effectum in aliquo priori, antequam voluntas creata cooperetur, vt ex disput. 88. c. 3. comperitur est.

Obiectio.

Solutio.

Cæterum obijcies, Prima causa non pendet à secunda in operando: ergo prius quam illa attingit effectum. Respondeo, primam quidem causam non pendere à secunda in hoc sensu, vt ab illa non recipiat virtutem ad operandum, sed pendet ab illa, quatenus sine illa non potest operationem, præsertim liberam in ipsa efficere, & ideo simul debeant ad eam cooperari. Et sane oportebat Scotum esse memorem: docuerat enim oppositum in 2. distinctione 37. q. 1. §. Ad solutionem, & in 4. d. 49. q. 6. §. Duo ergo, quem in disput. 88. cap. 3. retulimus. Atque, vt cap. 1. dicebamus, si prima causa necessario operans, quia prior est, prius attingeret effectum: etiam nunc cum libere operatur, quia prior est, eodem modo prius attingit, & ita nullam libertatem nostræ voluntati relinquit. Quod si nunc, cum libere operatur, non prius attingit, & ita nec libertatem impedit, elucitur nec tunc, etiam si necessario operaretur, prius effectum producturam.

CAPVT IV.

Etiam si nulla causa esset libera, effectus alii qui essent quodammodo contingentes.

Quorundam opinio. Gabriel. Corduba.

Aristot.

Henric.

Vnt qui absolute dicant, nulla causa existente libera & indifferenti ad operandum, non posse esse effectum vlllo modo contingentem. Sic docent Gabriel & Corduba locis citatis. Probant vero id, quia non existente causa libera, omnia essent ad vnam partem determinata vi, & necessitate naturæ: ergo nulla essent contingencia. Sic enim Arist. 1. perih. c. 8. definit contingens, Quod non est ad vnam partem determinatum.

Mihi tamen placet sententia Henrici quodlib. 8. q. 4. qui docet, duplex esse contingens, aut bifariam aliquid dici posse contingens (controversia enim non de re, sed de voce videtur esse) primum dicere ea parte effectus, quando talis natura est, vt non repugnet ei esse, vel non esse, sed ex principijs intrinsicis vtrumque ei accidere possit. Tales sunt res omnes corruptibiles comparatæ causis etiam creatis, à quibus produci, & corrumpi, aut impediri possunt. Sic homo potest esse & non esse, pluvia similiter, &c. Deinde dicitur contingens ex parte causæ liberæ, & cum indifferentia operantis.

Colligit ergo Henricus, contingens priori illo modo esse posse, nulla causa existente libera, eo quod res creatæ præsertim corruptibiles talis naturæ sunt, vt esse possint, & non esse: atque idcirco dicuntur non necessariæ: non necessarium autem idem omnino est quod contingens, quod potest esse & non esse. Sicut ergo hæres impediatur, vel corrumpatur ab agente necessario, seu à libero, ipsa nihilominus ex se possunt esse & non esse, & ideo contingentes vocantur. Præterea dicit, in eo casu nullum effectum relatum ad causam esse contingentem, quia cum causæ naturaliter, & necessario operantur, quicquid efficiunt, aut producendo, aut corrumpendo, aut impediendo non

contingenter, sed necessario efficiunt. Nam causa libera sola est, quæ ex forma apprehensa cum indifferentia ad vtramque partem agit: cæteræ vero ad vnam partem determinatæ sunt. De contingentia hoc posteriori modo loquitur Aristot. loco citato, quocirca opinioni Henrici nullo modo aduersatur.

ARTICVLVS VII.

Vtrum numerus prædestinatorum sit certus.

A Doctum sic proceditur. Videtur quod numerus prædestinatorum non sit certus. Numerus enim, cui potest fieri additio, non est certus: sed numero prædestinatorum potest fieri additio vt videtur: dicitur enim Deut. 1. c. Dominus Deus noster ad dat ad hunc numerum multa millia. Glo. 1. definitum apud Deum, qui nouit qui sunt eius. Ergo numerus prædestinatorum non est certus.

2. Præterea. Non potest assignari ratio, quare magis in hoc numero, quam in alio Deus homines præordinet ad salutem, sed nihil à Deo sine ratione disponitur. Ergo non est certus numerus saluandorum præordinatus à Deo.

3. Præterea. Operatio Dei est perfectior quam operatio naturæ. Sed in operibus naturæ bonum inuenitur, vt in pluribus, defectus autem, & malū vtriusque paucioribus. Si igitur à Deo institueretur numerus saluandorum, plures essent saluandi quam damnandi. Cuius contrarium ostenditur Matth. 7. vbi dicitur. Lata & spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Angusta est porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam. Non ergo est præordinatus à Deo numerus saluandorum.

Sed contra est, quod August. dicit in 1. lib. de Corrupt. & Grat. Certus est prædestinatorum numerus, quineque augeri potest, neque minui.

Respondeo dicendum, quod numerus prædestinatorum est certus. Sed quidem dixerunt eum esse certum formaliter, sed non materialiter: vt puta, si diceremus certum esse, quod centum, vel mille saluentur, non autem quod hi, vel illi. Sed hoc tollit certitudinem prædestinationis de qua iam diximus. Et ideo oportet dicere, quod numerus prædestinatorum sit certus Deo non solum formaliter, sed etiam materialiter. Sed aduertendum est, quod numerus prædestinatorum certus Deo dicitur non solum ratione cognitionis, quia scilicet scit quod sunt saluandus: sic enim Deo certus est etiam numerus guttarum pluviæ & arenæ maris, sed ratione

tionem electionis & definitionis cuiusdam.

Ad cuius euidenciam esse sciendum, omne agens intendit facere aliquid finitum, vt ex supradictis de infinito apparet. Quicumque autem intendit aliquam determinatam mensuram in suo effectu, excoigit aliquem numerum in partibus essentialibus eius quæ per se requiruntur ad perfectionem totius. Non enim per se eligit aliquem numerum in his, quæ non principaliter requiruntur, sed solum propter aliud: Sed in tanto numero accipit huiusmodi, in quantum sunt necessaria propter aliud. Sicut edificator excoigit determinatam mensuram domus, & etiam determinatum numerum mansionum, quas vult facere in domo, & determinatum numerum mensurarum parietis vel tecti. Non autem eligit determinatum numerum lapidum, sed accipit tot quot sufficiunt ad explendam tantam mensuram parietis. Sic igitur considerandum est in Deo, respectu totius vniuersitatis, quæ est eius effectus. Præordinauit enim in qua mensura deberet esse totum vniuersum, & quis numerus esset conueniens essentialibus partibus vniuersi: quæ scilicet habet aliquo modo ordinem ad perpetuitatem quod scilicet sphaeræ, quod stellæ, quod elementa, quod species rerum. Individua vero corruptibilia non ordinantur ad bonum vniuersi, quasi principaliter, sed quasi secundario in quantum in eis saluatur bonum speciei. Vnde licet Deus sciat numerum omnium individuorum non tamen numerus vel bonum, vel culicum, vel aliquorum huiusmodi est per se præordinatus à Deo. Sed tot huiusmodi diuina prouidentia produxit, quot sufficiunt ad specierum conseruationem. Inter omnes autem creaturas principaliter ordinantur ad bonum vniuersi, creature rationales, quæ in quantum huiusmodi incorruptibiles sunt, & potissimæ illæ, quæ beatitudinem consequuntur, quæ immediatius attingunt vltimum finem. Vnde certus est Deo numerus prædestinatorum non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cuiusdam principalis præfinitionis. Non sic autem omnino est de numero reproborum, qui videntur esse præordinati à Deo in bonum electorum, quibus omnia cooperantur in bonum. De numero autem omnium prædestinatorum hominum, quis sit, dicunt quidam, quod tot ex hominibus saluabuntur, quot Angeli ceciderunt. Quidam vero, quod tot saluabuntur quot Angeli remanserunt. Quidam vero, quod tot ex hominibus saluabuntur,

quot Angeli ceciderunt, & insuper tot quot fuerunt Angeli creati. Sed melius dicitur, quod soli Deo est cognitus numerus electorum in superna felicitate loquendus.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum illud Deuter. est intelligendum de illis, qui sunt prænotati à Deo respectu præsentis iustitiæ. Horum enim numerus & augetur & minuitur, & non numerus prædestinatorum.

Ad secundum dicendum, quod ratio quantitatis alicuius partis accipienda est ex proportionem illius partis ad totum. Sic enim est apud Deum ratio, quare tot stellas fecerit, vel tot rerum species, & quare tot prædestinavit ex proportionem partium principalium ad bonum vniuersi.

Ad tertium dicendum, quod bonum proportionatum communi statui naturæ accidit, vt in pluribus, & deficit ab hoc bono, vt in paucioribus. Sed bonum, quod excedit communem statum naturæ, inuenitur vt in paucioribus, & deficit ab hoc bono vt in pluribus. Sicut patet, quod plures homines sunt qui habent sufficientem scientiam ad regimen vitæ suæ, pauciores autem, qui hac scientia carent, qui moriones vel stulti dicuntur: sed paucissimi sunt respectu aliarum, qui attingunt ad habendam profundam scientiam intelligibilium rerum. Cum igitur beatitudo æterna in visione Dei consistens excedat communem statum naturæ, & præcipue secundum quod est gratia destituta per corruptionem originalis peccati, pauciores sunt, qui saluantur. Et in hoc etiam maxime misericordia Dei apparet, quod aliquos in illam salutem erigit, à qua plerissimi deficiunt, secundum communem cursum & inclinationem naturæ.

Prior conclusio est. Numerus prædestinatorum non tantum est certus formaliter, sed etiam materialiter: hoc est, non tantum certum est quod sint prædestinati, sed etiam qui sint. Posterior conclusio, Non tamen est certus numerus ex præscientia, sed etiam ex præfinitione quadam principali. Numerus autem reproborum, & aliarum rerum, quæ non ordinantur principaliter ad bonum vniuersi, sed secundarie, non item.

DISPUTATIO CI.

Quo pacto numerus prædestinatorum certus sit.

Due Scholasticorum sententia, cap. 1.

Postrema sententia, cap. 2.

Quomodo vere dicatur, Reprobis non potest saluari: & prædestinatus, aut saluandus non potest damnari, cap. 3.

Plures esse reprobos, quam prædestinatos, cap. 4.

LII

CA.

Pauciores in 1. part. Tom. I.